

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA.

SILICULOSA.

LEPIDIUM.

37. *LEPIDIUM cardamines* foliis radicalibus pinnatis, caulinis ovatis basi inciso-pinnatifidis.

Habitat ad Cienpozuelos ad margines viarum copiose, ad Aranjeuz rarius locis argillofis, aridis.

Radix crassa, perennis, profunde descendens.

Caules plerumque diffusi, interdum erecti, comosi, a binuciali usque ad pedalem longitudinem alti, plures ex una radice vel solitarii secundum locum, teretes; ramosi, præsertim superius, ramis inferioribus brevioribus.

Folia radicalia in orbem sparsa, procumbentia, primo vere vigent, mox exorto caule exsicantur, pinnata cum impari: pinnis oppositis, distinctis, sessilibus, subrotundo-reniformibus: lobo antico juxta insertionem in petiolo communi inciso-fulcato linea curva superius impressa; foliolo terminali duplo majori, subrotundo-ovato, basi levissime emarginato.

Caulina inferiora plerumque pinnata, similia radicalibus, sed minora, paucioribus (3. circ.) pinnis, petiolata.

Caulina superiora sessilia, basi divisa in lobos acutos, parvos: terminali majori subrotundo, in summis vero ovato-acuto, basi utrinque inciso vel sæpe auriculato.

Flores more familiæ in corymbis longe racemosis, copiosi, diutius persistentes, pedicellis patulis.

CAL. Perianthium tetraphyllum, patens, breve, foliolis lateris plani lato-linearibus, brevibus quasi subrotundis, apice convexo gibbis; lateris compressi linearibus, longitudinaliter convexis.

COR.